

298. *Dico II.* Idem tamen sine auxilio speciali nequit eas cognoscere omnes *collective*, imo probabilius nec *distributive*.

Prob. 1^a. pars. Ex angusta admodum mentis humanæ capacitate, vitæ brevitate, veritatum multitudine, infinitis vitæ hujus officiis et aliis impedimentis, præsertim ignorantia, *quam ex justa damnatione*, ut assertit S. Aug. pluribus locis, *patitur omnis homo ab exordio nativitatis sue*.

Conf. Verbis Eccli. c. 8. v. ult. Et intellexi, quod omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem eorum, quæ fiunt sub sole: et quanto plus laboraverit ad quærendum, tanto minus inveniat; etiamsi dixerit sapiens, se nosse, non poterit reperire.

Prob. 2^a. pars. Tum ex iisdem prope rationibus: tum quia multæ sunt veritates difficiles adeo et abstrusæ, ut post summam in veritate indaganda diligentiam viri etiam doctissimi eas penetrare non potuerint; et hinc constans inter eos de illis dissidium fuerit.

299. *Dico III.* Ad cognitionem *veritatum supernaturalium* salutarem requiritur gratia revelationis et internæ etiam illustrationis.

Pars 1^a. Constat ex notione entis supernaturalis; cum hæc veritates non sint cognoscibiles *per se*, utpote quarum objecta, sicut excedunt quoad entitatem naturæ vires, sic et earum cognoscibilitas superat easdem: neque etiam cognosci possunt *per aliud*; quia hoc nec potest esse causa vel effectus, utpote iisdem supernaturalia; neque indicia naturalia, qualia nulla dantur.

Pars 2^a. Ample probata est contra Pelagianos eorumque reliquias num. 291.

300. *Observa I.* SS. Patres, AUG. GREG. etc. duntaxat negant, quod homo sine gratia possit cognoscere veritates supernaturales, aut pertinentes ad opera salutaria; aut quod sola cognitione naturali possit pertingere ad mysteria supernaturalia, aut cogitationem sanctam. Apost. 1. Cor. 4. v. 7. non agit de scientia humana, sed de fide et aliis gratiæ donis efficacibus; attamen de scientiis etiam speculativis gloriari haud possumus, tum quia sine gratia inflant, nec discernunt inter bonum et malum; tum quia non sine naturali illustratione et Dei concursu comparantur. In Adamo et Salomone quoad cognitionem perfectam naturalium, specialem Dei favorem intervenisse, ex eodem constat, ex quo novimus eorum scientiam. Angelorum capacitas certo major, at limitata tamen est; unde incertum, quid et quantum *collective* cognoscere queant. In statu *naturæ puræ*, tametsi non fuissent errores positivi, multæ tamen fuissent ignorantiae negativæ, neque homo ejusmodi novisset omnia.

301. *Observa II.* Posita revelatione, potest homo sine gratia assentiri veritatibus supernaturalibus, assensu fidei naturalis. Nam mysteria fidei nostræ sunt maxime et *evidenter credibilia*; ergo nulla videtur esse causa, cur intellectus sibi relictus iis assentiri nequeat, qui etiam probabilibus assentitur; præsertim cum *heretici* aliqua fidei mysteria negantes, aliis assentiantur, quin fundamentum sit dicendi, illis præter gratiam revelationis aliud auxilium gratiæ concedi. Ad hæc datur *actus naturalis*, qui idem objectum materiale et formale fidei divinæ habere queat; ut patet in

dæmonibus, quibus dum Deus subinde locutus est, ut accidit Jobi 1., illi assentiri poterant actu naturali iis, quæ a Deo dicebantur, propter ipsius testimonium: imo re ipsa *dæmones credunt et contremiscunt*, ut testatur Jac. 2. v. 19. S. Aug. autem L. de præd. Sanct. non ob factam præcise hanc distinctionem fidei in perfectam et imperfectam *Semipelagianos* impugnat; sed quia fidem imperfectam dicebant esse meritoriam, et principium fidei perfectæ ac supernaturalis.

ARTICULUS IV.

AN GRATIA SIT NECESSARIA AD ACTUS MORALITER TANTUM BONOS.

302. *Nota I.* *Wicleff.* et *Joannes Huss* asseruerunt, ex una gratiæ sanctificantis seu habitualis absentia omnia opera peccatoris coinquinari; quem errorem adeo susceperunt *Lutherus* et *Calvinus*, ut etiam dicerent omnia justorum opera peccata esse, etsi illis non imputentur. *Baius* sine charitate perfecta, *Jansenius* sine charitate saltem imperfecta opera facta dicit peccata. Alii negant ab ullo fieri posse opus etiam *moraliter bonum*, nisi habeat fidem explicitam in Christum, aut supernaturalem saltem Dei cognitionem; adeoque infidelis actionem omnem peccati damnant. Porro docuit *Baius*, hominem sine Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valere, adeoque opus moraliter bonum ex omni parte non posse perfici sine gratia supernaturali et proprie dicta: qua in re habuit sectatorem *Jansenium* L. 3. de statu Nat. laps. c. 15.; imo et aliquos ex Doctoribus Catholicis. Huic positioni communiter contradicunt Theologi Catholici, statuuntque per solas naturæ vires opus morale bonum ordinis moralis fieri posse.

303. *Nota II.* In omni opere *moraliter bono* duo semper juxta S. Aug. L. 4. contr. Julian. c. 3. n. 21. spectanda sunt, officium scilicet et finis. *Officium* seu materia operis juxta eundem est id, quod est faciendum: *Finis* est id, propter quod faciendum est. Iste vero est duplex, nempe vel *finis operis*, seu intrinsecus, ad quem actio ex sese, seu ex natura sua ordinatur, qualis in eleemosyna est sublevatio pauperis: vel *finis operantis*, seu extrinsecus, quem agens pro suo arbitrio sibi proponit, bonum vel malum. Quidam *simpliciter* dicunt, actionem omnem infidelis esse peccatum: alii vero fatentur quidem actionem infidelis posse esse bonam tum ex *officio*, tum ex *fine proximo* seu operis; volunt autem infidelem semper peccare ex defectu *finis* remoti seu operantis, non ideo quidem semper, quasi habeat finem intrinsece malum; sed quia non refert actionem ad Deum, ut oportet. Vid. Tract. de Act. Hum.

304. *Dico I.* Gratia *sanctificans* non est necessaria ad omne opus moraliter bonum.

Prob. Ex SCRIPTURA, quæ pluribus locis monet *peccatores*, ut agant poenitentiam, se convertant ad Deum, peccata eleemosynis redimant; et laudat actiones peccatorum, v. g. Publicani in templo se humiliantis; quæ fieri non possent, si opera peccatorum omnia essent peccata.

Prob. EX CONCILII, CONSTANTIENSI, quod Sess. 13. damnavit hunc Joannis Huss articulum 16. (Labb. t. 12. p. 130.) : Divisio immediata humanorum operum est, quod sint vel virtuosa, vel vitiosa; quia si homo est vitiosus, et agat quidquam, tunc agit vitiose: si est virtuosus et agat quidquam, tunc agit virtuose. TRID. Sess. 6. can. 7. sic pronuntiat: Si quis dixerit opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vera esse peccata... anathema sit.

EX SUMMIS PONTIFICIBUS, qui damnarunt propositionem Baii 35. Omne, quod agit peccator vel servus peccati, peccatum est. Et 40. In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati. Item propositionem Quesnelli 38. Peccator non est liber, nisi ad malum, sine gratia liberatoris.

Prob. EX RATIONE. Quia peccator fidelis sine gratia sanctificante, licet non sine actuali, potest elicere aliquos actus salutes et intrinsece supernaturales; ergo a fortiori potest producere aliquos in ordine naturali moraliter bonos. Antecedens iterum constat ex TRID. Sess. 6. c. 5. et 6., ac ex eo, quod alias, qui semel peccavit, non amplius posset se ad Deum convertere et a peccato resurgere; sed quanto magis niteretur per actus salutes se præparare ad justificationem, tanto magis offenderet Deum et peccatis se implicaret.

305. *Dico II. Nec gratia fidei necessaria est ad quodvis opus ex omni parte moraliter bonum. Constat ex damnatis Baii 25., Quesnelli 42. et 8. ab ALEX. VII.*

Prob. EX SCRIPTURA. Quia nec hæc mala opera laudat, nec Deus remuneratur: Scriptura autem laudavit et Deus remuneratus est quædam opera infidelium; ergo. Min. patet 1º. In obstetricibus Ægyptiis pueros Hebræos servantibus, de quibus Exod. 1. legitur: Benefecit Deus obstetricibus; et quia timuerunt obstetrices Deum, ædificavit eis domos. Unde quamvis illæ postea mentitæ fuerint, tamen S. AUG. L. contr. mendacium c. 13. n. 32. hæc de illis enuntiat: Non est in eis remunerata fallacia, sed benevolentia; benignitas mentis, non iniquitas mentientis. 2º. In Rahab, exploratores Judæorum occultante, et ideo a communi civium Jerichuntinorum excidio servata, ut ex Jos. 2. ac 6. constat; quæ tamen tum temporis etiam juxta S. THOM. in c. 1. Matth. adhuc idololatra fuerat. 3º. In Nabuchodonosore ob bellum contra Tyrios gestum pro mercede ex Dei jussu terra Ægypti donato, ut Ezech. 29. v. 18. et seqq. perhibetur; unde S. HIER. ad hunc locum: Ex eo, inquit, quod Nabuchodonosor mercedem accepit boni operis, intelligimus etiam Ethnicos, si quid boni fecerint, non absque mercede Dei judicio præteriri.

Conf. EX IHO Apostoli ad Rom. 2. v. 14. Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt. Quamvis autem hoc loco abusi sint Pelagiani ad nimium extollendas liberi arbitrii vires, et hinc S. AUG. L. 4. contr. Julian. c. 3. illum de gentibus ad Christi fidem conversis exposuerit; tamen non minus probabiliter, quin verbis Apostoli congruentius, intelligitur de gentibus nondum gratiam consecutis, ut plerique Patres omnes apud SUAR. L. 1. de gr. c. 8. exposuerunt; quam explicationem S. AUG. ipse L. de Sp. et litt. c. 27. et 28. defendit ut hypothesin, quæ veram omnino et Catholicam doctrinam contineat. Hinc, qui cum Jansenio L. 4. de hæ. Pel. c. 8. communem expositionem ad Pelagianum errorem pertinere dicunt, repe-

tunt propositionem Baii damnatam 22. *Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Rom. 2. Gentes, quæ legem etc., intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus.*

Prob. EX PATRIBUS. S. GREG. NAZ. hom. 26. n. 5. : Multi gloriæ studio, atque etiam a natura ita informati, virtutem colunt. CHRYSOST. hom. de Fide et lege Nat. et Spiritu sancto (opp. t. 1. p. 826. A.) : Offendes quidem multos, qui quamvis sermonem veritatis non acceperint, operibus tamen pietatis, ut apparet, sunt conspicui. Invenies viros misericordes, compatientes, justitiæ vacantes: sed nullus fructus operum, quia nescierunt opus veritatis. Nam et opera sunt bona; verum necessarium est ut præcedat opus summum. S. AUGUST. de civit. Dei L. 3. c. 15. docet, Deum Romanis florentissimi imperii gloriam concessisse, ut redderetur merces bonis artibus eorum, id est virtutibus, quibus ad tantam gloriam pervenire nitebantur. Idem L. de Patientia c. 26. n. 23. Si quis, inquit, non habens charitatem.... in aliquo schismate constitutus, ne Christum neget, patitur tribulationes, angustias, famem, nuditatem, persecutionem, pericula, carceres, vincula, tormenta, gladium, vel flammam, vel bestias, vel ipsam crucem timore gehennarum et ignis æterni; nullo modo ista culpanda sunt, imo vero et hæc laudanda patientia est. GREG. M. hom. 27. in Evang. n. 1. Sunt nonnulli qui diligunt proximos, sed per affectum cognationis et carnis, quibus tamen in hac dilectione sacra eloquia non contradicunt. Sed aliud est quod sponte impenditur naturæ, aliud quod præceptis dominicis ex charitate debetur obedientiæ, etc. apud SUAREZ L. 1. de necess. Grat. c. 6. n. 9. et seqq.

Prob. EX RATIONE. 1º. Infideles in statu suæ infidelitatis non minus, ac peccatores fideles in statu peccati, tenentur servare præcepta legis naturalis, eaque transgrediendo peccant; ergo in illo statu ea debent servare posse, cum nemini imputetur in culpam et poenam, cujus observantia ipsi est impossibilis; ergo debent ea observando saltem posse operari non male, quia et hoc lex naturalis imperat; ergo cum lex etiam imperet moraliter bonum, illud præstandi potentiam habere debent.

2º. Conditiones ad opus ex omni parte moraliter bonum sunt: 1. ut ipsum opus ex objecto sit bonum; 2. ut finis intrinsecus sit honestus et regulæ morum conformis; 3. ut in finem extrinsecum malum non feratur; 4. ut hic et nunc non sit prohibitum quacumque de causa. Sed infidelis potest has omnes conditiones in aliquo opere servare; ergo.

Ex his proin recte inferitur: potest homo per solas naturæ vires et absque ulla gratia supernaturali exercere actum aliquem moraliter bonum, saltem quando nulla in oppositum urget gravis tentatio; tum quia nec ex ratione ostendi potest necessitas gratiæ supernaturalis ad actum honestum ordinis naturalis: tum ex ratione duplici, quam ultimo attulimus: tum ex damnatis propositionibus, et quidem Baii 27. Liberum arbitrium sine adjutorio Dei non nisi ad peccandum valet. Quesnelli 40. Sine gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem: 39. etc. tum ex S. AUG. qui L. de perf. just. c. 2. in resp. ad 3^m. Celestii objectionem docet, illud parum esse ad non peccandum.

306. *Obj. contr. 1^m. Matth. 7. dicitur: Non potest arbor mala bonos fructus facere: sed per arborem malam intelligitur peccator, per fructus bonos, opera bona; ergo.*

R. D. M. Arbor formaliter et ut mala non potest facere fructus bonos C. materialiter et quæ mala N. Dum peccator non agit ut peccator, potest utique opera honesta facere, imo cum gratia actuali etiam salutaria, ut liquet ex TRID. cit.; sicut justus peccare venialiter potest, juxta illud: *Septies cadit justus*, quamvis in eadem parabola dicatur: *Non potest arbor bona malos fructus facere.*

Inst. 1. Etiam peccatorum opera, quæ videntur bona, Deo displicent, aut saltem non probantur, ut patet ex Prov. 15. *Victimæ impiorum abominabiles Domino*; et ex Joan. 9. ubi dicitur: *Peccatores Deus non audit*; ergo ne moraliter quidem bona sunt.

R. N. Ass. Ad 1^{um}. text. R. Victimam non fuisse Deo abominabilem ex *statu præcise offerentium*, sed ex pravo eorum fine, quem actualiter adjugebant Judæi, dum eorum multi Sacrificia legis offerebant ex inani spe ac impia præsumptione, omnia sibi fore licita, modo ritus hos externos et alias Moisaicæ legis cæremonias observarent; quod ipsum Deus Isa. 4. illis exprobrat, et postea, quomodo sibi sacrificandum orandumque sit, præscribit.

Ad 2^{um}. text. R. 1^o. Cum S. AUG. L. 2. contr. epist. Parmeniani c. 8. n. 17. D. dicitur hoc a Christo vel Evangelista N. a cæco nato, ceu homine necdum lumine fidei Christianæ, neque a Deo specialiter illustrato C. Non autem quælibet verba loquentium in Scriptura sunt verbum Dei; alias et verbum Dei foret non dari Deum, cum Scriptura dicat: *Dixit impius in corde suo: non est Deus.*

R. 2^o. D. Deus non audit peccatores in eo sensu, quem intelligebat hæc verba proferens C. absolute et simpliciter N. Cum cæcus a Christo visum miraculo recepisset, et Pharisei Salvatorem nihilominus tanquam impostorem et blasphemum calumniarentur; ille famam Christi defendendam suscepit, dicendo: *Scimus, quia peccatores Deus non audit*, scilicet ad patranda miracula; quod verissimum est, cum Deus ad peccatoris preces miracula patrare non soleat.

Inst. 2. S. AUG. L. 9. de Trin. c. 7. et 8. alibi quæpius docet, quidquid fit ab homine, vel fieri ex charitate, vel ex cupiditate. L. de Gr. et lib. Arb. c. 18. n. 37. autem: *Præcepta charitatis*, inquit, *tanta et talia sunt, ut quidquid se putaverit homo bene facere, si fiat sine charitate, nullo modo fiat bene.* Sed quidquid peccator facit in statu peccati, facit sine charitate; ergo.

R. Quoad 1^{um}. D. Fit ex cupiditate vel charitate stricte sumpta pro amore benevolentiae Dei N. vel ex charitate late sumpta pro quolibet motu vel amore justitiæ aut honestatis C.

Quoad 2^{um}. Eadem est responsio quorundam; sed quia, ut probat Suarez L. 1. de gr. c. 5., fere certum est loqui hic S. AUG. de charitate stricte sumpta, cum S. TH. 2. 2. q. 47. a. 7. ad 3. R. D. Nihil fit bene sine charitate, si fiat sine charitate contrarie, h. e. si fiat cum ordine ad motivum vel finem vel circumstantiam, quæ repugnat charitati C. si fiat sine charitate negative, h. e. siquidem non fiat ex influxu, motivo, vel imperio charitatis, nec tamen cum ordine ad aliquid charitati contrarium N. vel *subd.* nihil fit bene moraliter vel etiam quocumque modo salutariter N. proxime salutariter ad justificationem vel per modum meriti condigni C. vel T.

Ubi cum S. AUG. docet, *sine charitate nihil fieri bene*, non loquitur de bonitate mere naturali et morali, ut patet ex dictis: neque etiam loquitur

de bonitate quacumque supernaturali et salutari; cum ex iisdem constet, dari opera salutaria hominis impii, quæ per se ad justificationem non sufficiant, quamvis remote disponant: sed loquitur vel de *bonitate salutari*, quæ habeat se per modum dispositionis proximæ ad justificationem; quia charitas actualis vel est necessaria *in re* ad justificationem peccatoris extra sacramentum, vel saltem *in voto* et animi præparatione, si justificatio fiat per sacramentum: vel loquitur de bonitate salutari, quæ se habeat per modum meriti condigni vitæ æternæ; quia charitas habitualis vel est indistincta a gratia sanctificante, vel quidem distincta, sed inseparabilis, adeoque sicut sine hac non fit opus condignum vitæ æternæ, sic neque sine illa.

Atque hunc sensum a S. AUG. intendi, patet ex eo, quod in omnibus operibus, ubi gratiæ necessitatem contra Pelagianos ad opera bona defendit, expresse profiteatur, a se illa tantum opera intelligi, per quæ homo ad æternam vitam regnumque Dei perducere possit. Unde colligitur, quotiescumque idem docet voluntatem sine charitate esse dicendam *cupiditatem*, neque bonam ullam voluntatem sine ea haberi, eum loqui de *charitate habituali*, sine qua in præsentia providentia voluntas est necessario habitualiter mala, cum inter statum gratiæ et peccati non detur medium. Similiter cum dicit, sine charitate nullam esse *virtutem veram*, per hanc intelligit virtutem simpliciter perfectam in ordine ad finem supernaturalem, h. e. gratia sanctificante seu charitate formatam, cum aliæ virtutes, eo quod sint informes, neque meritum vitæ æternæ contineant, non virtutes simpliciter, sed secundum quid vocari soleant.

307. Obj. contr. 2^{um}. SCRIPTURA omnia infidelium opera videtur habere tanquam mala; ad Rom. 14. *Omne, quod non est ex fide, peccatum est*; quem locum S. AUG. L. 4. contr. Julian. c. 3. de fide proprie dicta intelligit, ac inde probat, omnia infidelium opera esse peccata. Et ad Titum 1. *Omnia munda mundis: coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum, sed inquinata sunt eorum et mens et conscientia.* Tandem ad Hebr. c. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo.*

R. N. Ass. Ad 1^{um}. R. Textum hunc non de fide theologica, sed de *dictamine conscientie* practico, uti contextus ipse probat, exponunt SS. Patres et Theologi communiter cum Conc. LATER. IV. Can. 41. *Quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est, Synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio tam canonica, quam civilis.* Si tamen cum S. AUG. et PROSPERO intelligatur de *fide theologica*, eundem cum S. TH. 2. 2. q. 10. a. 4. et q. 23. a. 7. *explico.* Quod non est ex fide theologica positive et contrarie, h. e. quod fit contra fidem, aut ex animo infidelitatis, peccatum est C. quod non est ex fide negative, h. e., quod fit absente tantum fide *subd.* peccatum est ut plurimum, quia scilicet infidelis sæpissime agit ex motivo infidelitatis C. semper, quasi nullo prorsus motivo honesto posset unquam ad agendum moveri N.

Ad 2^{um}. R. Apostolum intelligendum esse de immundis et infidelibus *formaliter* talibus, non autem materialiter talibus; cum et hoc modo debeant sumi mundi, ut illis dicantur omnia esse munda.

Ad 3^{um}. D. Sine fide etc., ita ut intelligatur, nullam personam aut operantem placere Deo posse sine fide, imo nec sine gratia justificante seu gratum

faciente *C.* ita ut intelligatur nec opus aliquod sine fide posse placere Deo *subd.* non posse placere Deo in ordine ad meritum gloriæ vel veram justitiam consequendam *C.* in ordine ad præmium temporale hujus vitæ *N.* Contrarium enim probant exempla num. 303. allata aliaque plura.

Inst. 1. S. *Aug.*, quem in hoc sequuntur *SS. Prosper et Fulgent.*, 1^o. L. 1. de Nupt. c. 3. et 4. etc. totus in eo est, ut ostendat virtutes *infidelium* non esse *veras* virtutes. 2^o. *Ibidem* contendit omnia opera *infidelium* esse *peccata*, quia non sunt ex fide. 3^o. *Fidem* esse unicam directricem intentionis, quæ opera faciat bona, ut in Ps. 31. n. 4. commentatur. 4^o. L. 3. ad Bonif. c. 8. et L. de Sp. ac litt. c. 3. definit, liberum arbitrium non nisi *ad peccandum* valere, *si lateat via veritatis*, h. e. gratia fidei absit.

R. *N. Ass.* Ad 1^{am}. R. *D.* Ut ostendat virtutes *infidelium* non esse *veras* in eo sensu, quo *veras* virtutes esse dicebat *Julianus C.* in sensu nostræ conclusionis *N.* *Julianus* quidem statuebat 1^o. opera esse simpliciter bona, quæ essent ex officio bona, licet ex pravo fine fierent. 2^o. Virtutes gentilium esse simpliciter *veras*, iisque illis simpliciter et absolute constitui bonos aut justos. 3^o. Has gentilium virtutes nec exiguas esse, nec infrequentes. 4^o. Docebat, vel ex ejus doctrina certe inferebat *Augustinus*, eas virtutes meritorias esse regni cælorum. 5^o. Argumentis *S. Augustini* pressus virtutes *infidelium* concessit esse steriles.

S. Aug. in his omnibus contradixit; quin et absurditatis et contradictionis *Julianum* convincebat: si enim virtutes non essent ex omni parte perfectæ; non tantum *steriles*, sed prorsus falsas ac vitia dicendas arguebat: si verò perfectæ forent, illisque vera justitia compararetur, contendeat eandem non esse *steriles* ad vitam æternam. Atque hæc quidem in libris contra *Julianum*; quibus similia præmiserat *L. de nupt. et concup.*, unde lis ipsi cum *Juliano* orta fuit. Nam et hic *infidelium* conjugatorum actus plerumque malos dicit ob finem perversum, qui non *negative* duntaxat, sed *contrarie* ad cultum Dei non pertinebat.

Ad 2^{am}. R. *D.* Contendeat opera *infidelium* omnia, h. e. pleraque esse peccata, utpote ex fine pravo facta *C.* omnia absolute et sine exceptione, etiam illa, quæ ex honesto fine fiebant *subd.* contendeat esse peccata, h. e. non esse opera veræ justitiæ, quæ operantem Deo gratum reddant *C.* esse peccata vere, proprie et formaliter talia *N.* Controversia principalis *S. Aug.* inter et *Julianum* versabatur in eo: an virtutes *infidelium* sint veræ virtutes ac simpliciter, h. e. more theologico et Christiano sumptæ, quæ scilicet hominem Deo acceptum constituent et ad vitam æternam promerendam conferant? atque hoc esse negavit *Aug.*, tum quia opera ex officio tantum bona et ex fine pravo facta, sunt proprie peccata: tum quia facta ex fine quidem bono, sed *sine fide* non faciunt hominem Deo gratum; cum sine fide impossibile sit placere Deo.

Quæstio *incidens* et ex laude Romanorum heroibus ac Gentilium Philosophis a *Juliano* data fuerat hæc: an eorum opera ex officio bona fuerint perfecta ex fine bono? Ad hanc, ut ex *L. de Sp. et litt. cit.* constat, *Aug.* dicebat, *vix* talia inveniri, et sic non nisi rara ac pauca esse. Quare, cum parum reputetur pro nihilo, et hæc quæstio extra scopum controversiæ principalis versabatur, *S. Aug.* subinde asserebat contra *Julianum* simpliciter, omnia *infidelium* opera esse peccata.

Ad 3^{am}. R. *D.* Fides dirigit intentionem ad finem et opus supernaturale *C.* naturale seu moraliter bonum *N. S. Th. 2. 3. q. 10. a. 4. ad 2. S. Augustinum* sic explicat: *Fides dirigit intentionem respectu finis ultimi supernaturalis, sed lumen etiam naturalis rationis potest dirigere intentionem respectu aliquid boni connaturalis.* Hinc dum *S. Augustinus* opera ante fidem vocat *magnas vires et cursum celerrimum, sed extra viam*; apparet illa agnosci ut bona, sed ad meritum vitæ æternæ omnino sterilia.

Ad 4^{am}. R. *Idem* dictum *S. Augustini*, uti et sententiã Concilii *Arausiacani*, qua definitur neminem habere de suo nisi mendacium et peccatum, vide n. 260.

Inst. 2. Si quod opus esset ex omni parte bonum, foret illud, quod suscipitur ex amore honestatis: atqui ejusmodi actio non est bona, juxta *S. Aug.*, qui *L. 19. de Civ. c. 25. Licet a quibusdam, inquit, tunc veræ et honestæ putentur esse virtutes, cum ad seipsas referuntur, nec propter aliud expectantur; etiam tunc inflatæ et superbæ sunt, et ideo non virtutes, sed vitia judicanda sunt*; ergo.

R. *N. min.* Ad text. *S. Aug. D.* virtutes inflatæ et superbæ sunt, si referantur ad se ipsas, h. e. si appetantur, ut conferatur animo decor continentie v. g. aut probitatis, qui scilicet humanæ gloriæ deserviat *C.* h. e. si appetantur propter ingenitam rationem honestatis *subd.* si hæc honestas habeatur pro fine ultimo, ut *Stoici* faciebant *C.* si tanquam finis ordinabilis ad Deum, qui est omnis honestatis fons, principium et regula *N.* Tunc enim favet nobis potius *S. Doctor*, præcipue *L. 83. QQ. q. 30.*

Inst. 3. Quamvis speculative probabile sit, hominem posse se convertere ad honestatem virtutis, et sic implicite ad Deum, præcise tamen nunquam se ad illam convertit absque *philantia*, ut ait *S. Aug. L. 4. contr. Julian. c. 3. n. 28. scribens: Nihil est in creaturis, quod attinet ad institutarum divinitus merita naturarum, rationali mente præstantius. Unde fit consequens, ut mens bona magis sibi placeat, magisque se ipsa delectet, quam quælibet alia creatura.*

R. *N. Ass.* Quod distinctione hac aptum est ad eludendam damnationem articuli *Baiani 27.*, supra citati. Ad text. R. Ex contextu liquet, his verbis doceri duntaxat facile quidem et frequenter hominibus etiam justis, non tamen semper et in actione omni evenire in hac mortali vita, ut concupiscentia mala ac superbia sollicitet animum, et eum vincat. His adde, quod quamvis intra res creatas nihil sit, quod homo præ se magis amet, tamen Deus sit, in quem naturaliter feratur.

Inst. 4. Si possumus bonum naturalis ordinis præstare, possumus pariter servare legem naturæ ac Deum diligere, et consequenter potiri vita æterna; cum *Matth. 19. dicatur: Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Hoc verò concessio statuenda erit pro ejusmodi hominibus vita æterna diversa a regno cælorum, ut *S. Augustinus* sæpius citatus cont. *Julianum* declarat. *Conf.* Voluntas hominis lapsi magis est propensa ad malum, quam ad bonum: sed hac propensione majore ad malum stante, nequit sine gratia exire in opus moraliter bonum; ergo.

R. *Transmissa 1^a. Seq. N. 2^{am}.* Ad consequendam vitam æternam non sufficit observatio mandatorum quæcumque et naturalis, sed salutaris; quam postremam cum *Julianus* solis naturæ viribus haberi posse vellet, recte qui-

dem S. AUGUSTINUS commemoratum absurdum intulit contra *Julianum*; in nos vero id minime quadrat.

Ad Conf. concessa M. Præsertim si præter originale peccatum insit etiam homini habitus vitiosus; *N. min.* quia stante etiam tali propensione, nisi hæc supponitur esse tentatio valde gravis, homo non tantum *physice*, sed et *moraliter* indifferens est sine gratia supernaturali, et potest assentiri bono honesto opposito.

Inst. 5. Homo nunc est ad *finem supernaturalem* elevatus; ergo ut per quemvis actum inhonestum recedit ab hoc fine, ita per quemvis actum honestum ad eundem accedit; tum quia alias deterioris conditionis homo esset respectu operationis bonæ: tum quia assignari nequit, ad quæ opera detur vel requiratur gratia: sed sine gratia homo nequit accedere ad finem supernaturalem; ergo.

R. N. Cons. Sicut enim homini non debetur *elevatio* ad finem supernaturalem; sic etiam ea supposita non debetur ipsi *potentia*, qua possit per singulos actus positive converti ad finem supernaturalem; quod quidem de peccatoribus maxime *infidelibus* facile omnes concedunt: respectu *fidelium* autem nonnulli putant dari semper homini libertatem cum præparatione necessariorum talem, ut homo semper possit ponere vel actum malum, vel actum naturaliter tantum honestum, vel actum supernaturalem; quæ opinio videtur carere sufficienti fundamento; præsertim cum in sententia supernaturalitatem a motivo desumentium possit sæpe in actione occurrere motivum duntaxat naturale; in aliorum autem systemate non statuatur adesse gratiam prævenientem in omnibus prorsus actionibus etiam præcepto positivo non subjectis. Unde

Ad prob. 1^{am}. *R. T.* Quia per hanc inæqualitatem, in alio indebito fundatam, ac præterea propter peccatum originale aliquo modo debitam, nulla homini fit injuria.

Ad prob. 2^{am}. *R. N.* Datur enim gratia ad ea opera, ad quæ requiritur; ejusmodi autem sunt tum opera salutaria et vitæ æternæ meritoria, tum actus difficilioretsi naturales duntaxat, ut mox dicitur. Cæterum gratiarum distributionem definire nostrum non est. Quis enim *cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?*

ARTICULUS V.

AN GRATIA SIT NECESSARIA AD SERVANDAM LEGEM NATURALEM?

308. *Nota.* Quæstio proposita circa hominem duntaxat in statu *naturæ lapsæ* movetur; de homine enim in statu *naturæ integræ* Theologi communiter cum S. TH. 1. 2. q. 109. a. 4. et 8. sentiunt, eum facile quovis longo tempore totam legem naturalem sine speciali gratiæ auxilio servare potuisse: quid vero de *natura pura* dici queat, dictum est n. 34. et 38. Porro supponimus hic tanquam certa, vel superius jam expedita: 1^o. Legem naturalem actus supernaturales etiam præcipientem non posse impleri *sine gratia*; quia hæc ad illos actus necessaria est: 2^o. Nec etiam legem pure naturalem sine gratia observari posse *quoad modum*, seu ut hæc observatio conducat ad salutem; cum actus salutaris sine gratia haberi nequeat;

3^o. Dari sine speciali gratiæ auxilio in homine potentiam *moralem* æque ac *physicam*, ut brevissimo aliquo tempore observet præcepta legis naturalis tunc temporis occurrentia affirmativa, nec ullum ex negantibus transgrediatur; modo absit gravis tentatio in contrarium.

309. *Dico I.* Tota lex naturalis sine gratia potest *potentia physica*, h. e. secundum requisita ex natura rei ad hoc, ut actus poni possit, diu ab homine lapsa servari secundum *substantiam*, h. e. secundum ea, quæ pertinent ad bonitatem moralem.

Prob. Tota lex naturalis secundum substantiam considerata non superat in præsentī statu vim humanæ voluntatis; ergo sine gratia potest *potentia physica* servari secundum substantiam, et quidem diu, cum non uno tempore occurrat tota præceptorum collectio simul observanda. *Ant. prob.* Ut tota lex vel collectio præceptorum non superet vim humanæ voluntatis, satis est, quod observatis seorsim præceptis pluribus, nihil minuatur humana voluntas secundum virtutem physicam; hæc non minuitur; ergo.

310. *Obj.* Impotentia *proprie physica* est, quæ habetur ex infirmitate aut defectu virium: sed natura sine gratia ad observandam legem est infirma, et habet defectum virium; ut patet ex S. AUG., qui L. de perf. just. c. 2. ad rat. 1^{am}. sic respondet: *In tantum enim sana non est, in quantum id quod faciendum est, aut cæcitate non videt, aut infirmitate non implet, dum caro concupiscit adversus spiritum.* Et S. TH., dum 1. 2. q. 109. art. 4. negat, hominem posse implere præcepta *sine gratia sanante*: imo art. 2. negat, hominem totum sibi connaturale bonum agere, ita quod in nullo deficiat.

R. D. M. Impotentia *proprie physica* est, quæ habetur ex infirmitate et defectu virium absolute sumptarum et simpliciter necessariorum *C.* quæ habetur ex defectu virium tantum respective sumptarum, neque necessariorum simpliciter *N.* Natura lapsa equidem non est sana, sed lapsa et infirma, si sumatur respective ad naturam integram, neque, ut illa, *vires sanas* ac *robustas* habet, atque hinc virium defectum habet; ut dictum est n. 174. et seqq.; sed easdem requiri ad potentiam physicam observandæ legis naturalis habendam, negatum est tum *ibid.*, tum in præcedentibus.

Hinc ex allatis testimoniis nihil efficitur contra *potentiam physicam*; tum quia S. AUG. impotentiam repetit duntaxat a resistentia appetitus inferioris; quæ facit tantum moralem impotentiam: tum quia uterque loquitur de infirmitate respective ad *statum integrum*; quod manifeste etiam patet in locis ex D. THOMA objectis, ubi utrobique prius de natura integra resolvit, illi adesse potentiam; quæ cum non physica tantum, sed et moralis fuerit, sequitur ab eodem naturæ corruptæ negatam solum fuisse moralem potentiam, non physicam quoque. Adde, quod S. Doctor per *gratiam sanantem* intelligat sanctificantem, quam propter duo requirit, nempe ut natura corrupta sanetur, et ut bonum ordinis supernaturalis, quod condigne meritum est, operetur.

Inst. 1. S. AUG. 1. c. c. 3. ad rat. 5. comparat infirmitatem voluntatis cum *vitiato pede* ejus, qui claudicat; et S. HIER. L. 3. contr. Pelagian. n. 11. hominis impotentiam ad non peccandum exæquat cum impotentia ad *non ægrotandum*; ergo asserunt impotentiam vere physicam.